

4501.

834

Q.D.O.M.B.V!

DISSERTATIO JURIDICA
DE
MULIERE DOMINA,

Qvam
volente favente DEO

&
*Magnifici Nobilissimiqve JCtorum
Ordinis permisſu*

PRÆSIDE

DN. ANDREA MYLIO, J.U.D.ac P.P.

Dn. Patrono, Promotore & Fautore suo nullo
non honoris cultu ætatem devene-
rando

publicè disqvirendam produces

AUTOR RESPONDENS

Gottlieb Benjamin HOMILIUS

In JCtorum Auditorio

die 12. Maii Anno M DC LXXXVII.
Hor. confv.

LIPSIAE,
Typis Christiani Banckmanni.

B. C. D.

Voniam ordo est modus agendi, sine
quo nihil recte agitur l. adites. 25. §. fin. π. de
Ædil. Edic̄t. l. q̄ voniam autem. 6. pr. π. si quis
omiss. caus. test. l. si crimen 3. C. de ord. cogn.
MARANT. in proam. spec. n. 5. Confusio vero
omnibus rebus multa affert incommoda, indeque ma-
xime vitanda, l. pateant. 3. §. 3. in fin. C. de his, qui ad Eccles.
config. Nov. 31. hinc & nos in expositione hujus thematis
ordinis rationem habentes, terminorum præmissâ e-
volutione, rem ipsam postea tractare cum D E O de-
crevimus.

CAP. I.

DEFINITIONEM NOMINA- LEM ET REALEM EXHIBENS.

I.

Dicitam esse Mulierem à molitie creditur, teste LACTANT. de
Opificio Dei & M. VARR. de lat. ling. quasi mollier, detractâ mu-
tatâque literâ. CALV. in Lex. verb. mulierem. quod viro sit mollior,
quoad membra, mores, affectus & effectus. GOEDD. ad l. 13. π. de V. S.
n. 9. Mollities enim mulieribus propria est, utpote quæ ob sexus im-
becillitatem facile vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum fle-
cti possunt. SCHÖNBORN. 2. Polit. 12. ut non ineleganter de iis VIR-
GILIUS:

-- -- Varium & mutabile semper
Fœmina.

Lib. IV. Æneid. vers. 569.

A 2

II. Sæpiſ-

II.

Sæpiissimè autem hoc nomen in jure reperitur, & capitulatur vel (1) generaliter pro omni ætate & conditione foeminitâ. l. argumento 25. §. 9. π. de aur. arg. leg. l. servis. 81. §. 1. π. de legat. III. vel (2) specialiter pro certâ sexus foeminiti qualitate, qvomodo non nunquam juvenculas ad virum nondum aptas d. l. argumento 25. §. 9. π. de aur. arg. leg. aliquando virginis viripotentes per text. expr. l. Mulieris 13. pr. π. de V. S. l. cit. servis. 81. π. de Legat. III. interdum, imò ut plurimum ferè uxores seu nuptias indigitat. l. non sunt 14. π. de Stat. hom. l. mulier bona 72. ff. de jur. dot. l. mulier habebit. 7. π. de aet. rev. amot. l. queritur. 14. pr. §. 1. & 7. ff. de edil. Ediſt. l. consstante. 26. pr. π. ad L. Jul. de adult. l. ambiguitates. 2. C. de indiſt. viduit. toll. l. generaliter. 5. §. 1. C. de sec. nupt. Nov. 22. c. 6. & cap. 15. §. 1. Porro sub eadem vocula continetur Vidua, l. mulier liberis. 2. π. de confirm. tut. l. si quam mulier. 1. l. cum aliis. 4. l. generaliter. 5. C. de sec. nupt. l. sicuti. 1. §. 4. 14. 17. & 19. l. habitatio. 4. pr. & §. 1. l. curator. 5. pr. l. si ventris. 8. ff. de ventr. in poss. mitt. l. malum. 242. §. 3. π. de V. S. Concubina, l. Divi Constant. 5. C. de natur. lib. Adultera, l. Claudio. 13. π. de his quæ ut indigne. l. si uxor. 13. §. 5. l. iis, cuius ope. 14. §. 1. l. denunciasse. 17. §. 2. & 6. l. adulter. 19. pr. l. nec in ea 22. §. 4. l. mariti. 29. §. 5. l. nihil interest. 32. pr. l. si adulterium. 38. pr. π. ad L. Jul. de adult. Ancilla, l. Areſcusa. 15. π. de stat. hom. l. servus domino. 10. π. pro empt. & liberta, l. si mulier. 21. π. quod met. cauf. Priorem significatum hoc potissimum pertinere sequentes indicabunt paginæ.

III.

Vocabulum Dominae vel à latino verbo domo, domare, i. e. sibi subjecto imperare, vel à nomine domus, quatenus familiæ voci synonymum est, derivatur. REBHA. in Hodog. jur. Chart. 3. elem. 1. apb. 20. in not.

IV.

Et vel inproprie capitulatur de rebus inanimatis, v. g. de hæreditate in l. non minus 31. §. 1. π. de hæred. insit. l. denique. 13. §. 5. π. quod vi aut clam. l. si dolo malo. 1. §. 1. π. si is, qui testim. vel propriè, de hominibus; & nec sic quidem uno semper eodemque modo, sed vel (1.) latissimè, pro personâ quamcunque potestatem, seu publica seu priva-

privata ea sit, ad aliquid habente, i. e. ut non modo potestatem supereminentem sive Jurisdictionem omnimodam, sed & potestatem familiæ, & jura rerum inter privatos comprehendat. (2.) latè pro persona, cui quodcumque jus inter privatos in re est constitutum. (3.) Strictè pro eâ, cui saltem jus in re corporalis substantiam est comparatum. REBHAHN. d. l. HAHN. ad Wesenb. Tit. de A. R. D. n. 3. & in Tr. dejur. rer. cap. 3. concl. 35. & seqq. Est tamen verbum dominæ interdum signum quoddam reverentiae ac honoris. l. cum quis. 37. §. 5. π. de Legat. III. & interioris affectus, prout vir vocat uxorem dominam, l. uxorem 4. pr. π. eod. dominam coharentem, Nov. 74. c. 4. dominam sanctissimam, l. Titia 19. §. 1. π. de ann. legat. itemque dominam suam. l. Medico. 40. §. 1. π. de aur. arg. leg. Prima autem significatio, ubi latissimè capitulor vox dominæ, hujus maximè est Loci.

V.

Unde sic describi potest: Mulier domina est persona fœminini sexus in res vel personas sibi subjectas jus & potestatem habens.

VI.

Generis loco persona ponitur, quæ hic non absolutè; sed moraliter, & prout in certo hominum statu existit, spectatur. vid. TAB. in C. j. A. de stat. hom. apb. 3. Reliqua verba arguunt differentiam, quæ hæc mulier à muliere non dominâ satis distinguitur.

CAP. II.

DE MULIERE DOMINA RATIONE PERSONARUM.

I.

Est autem mulier domina tum ratione personarum, tum ratione rerum sibi subjectarum. Dominum in personas eidem competit vel ut est persona publica, vel privata; Si est persona publica, tunc vel habet Majestatem, vel gerit Magistratum.

II.

Majestatem mulieres tenuisse , Johanna Siciliæ, Elisabetha Angliae, Margarita Daniæ, Maria Hungariae, Reginæ, & Vanda Poloniæ Ducissæ testantur. Qvod tamen extraordinariæ saltem indoli adscribendum esse, inde colligitur, qvia imperium certæ stirpi deferentes sine omni dubio ad virorum opera, præstantiora qvippe, & Reip. utilitatibus maximè accommodata respiciunt, cum de fœminis ob sexus qualitatem, & qvia præcipuum vitæ suæ tempus generationi proliis tribuere debent, l. quæritur. 14. §. 1. π. de edil. edit. l. ambiguat. 2. C. de ind. vid. toll. idem sperare non licet. BOECL. ad GROT. lib. 2. cap. 7. §. 17. EICHEL. adl. 2. π. de R. I.

III.

Sed an idem de Augusta seu Imperatrice dicendum ? Dn. CARPOV. in Dis. feud. 9. qv. 2. affirmativam defendit, sequutus RIEMER. quæst. illusr. decad. ult. qv. 1. cui sese opposuit LIMN. in jur. publ. lib. 2. c. 14. n. 25. & seqq. qvem sequitur novissimè STRAUCH in Inst. Jur. publ. tit. 33. §. 3. afferens Augustam non habere dignitatem & potestatem ex se, sed in modum dependentia, qvod etiam ante eum tenuit BALD. ad l. 57. π. de Leg. II. Imperator enim Augustæ privilegia tribuit, & eadem qvidem, qvæ ipse habet, l. Princeps. 31. π. de LL. puta qvoad reverentiam, immunitates, & qvæ sunt similia; modo personæ qualitas non repugnet, forte, qvod privilegium versetur circa officia publica, quibus sexum muliebrem arceri constat. l. fæmina. 2. π. de R. J. l. Vellejano 1. §. fin. π. ad Sctum Vellej. CORAS. ad d. 1. 31. π. de LL. n. 14.

IV.

Qvæ de Augusta sunt adserta, etiam in Statuum Imperii uxoribus obtineri volunt, qvia singuli status tantum possunt in suis provinciis, quantum Imperator in toto imperio. REINKING. de reg. sec. & ecclesi. lib. 1. & 5. cap. 6. Unde propter individuam vitæ societatem illustris uxori mariti dignitatibus gaudere debet. Et si privatæ mulieres honore maritorum fulgent, l. fæmina. 8. π. de Senator. l. mulieres. 13. C. de dignitat. multo magis illustres tanto viri fulgore gaudere, erigi & coruscare debent. MYLER. in Gamolog. cap. 7. apb. 5. & 6.

V. Magi-

V.

Magistratus officio fœmina præesse nequit, qvia indecorum habetur, talem personam ejusmodi præficere muneribus , qvæ cum publicâ authoritate,in sexum fœmineum vix cadente,exercentur. d. l. *fœminæ. 2. π. de R. I. l. cum Prætor. 12. §. ult. π. de judic.* cum & aliæ corporalia munera ipse sexus deneget. *l. & qui. 3. §. 3. π. de muner.*
& honor. FERRAR. ad d. l. 2. π. de R. f. Qvod tamen limitandum; ut saltim procedat in magistratu,cui administratio est annexa. Nam officium magistratus sine administratione fœminam gerere posse, communiter existimant Dd. *vid. BARTOL. & DEC. ad d. l. 2. π. de R. f.* Sed & si munus istud personæ cohæret,fœmina sine dubio ab eo arcenda est,secus verò si prædio. Unde fundum cum Jurisdictione eam possidere,& res suas,perinde ut masculum, in feudum dare eoqve ipso Jurisdictionem feudalem sibi comparare posse , ex inferius dicendis prolixius constabit.

VI.

Si privatam mulier agit personam, non solum ratione servorum,sed & ratione liberorum ut domina considerari potest. Et qvod servos attinet, eos olim non minus mulieribus ac masculis subjectos fuisse non ineleganter videre licet in *l. si dominus. 2. in fin. π. de his, qui sui vel alien. jur.* ubi matrona , qvæ ancillas ex levissimis causis atrocissimè tractaverat, ideoqve ab Hadriano in quinqvennium relegata fuerat,refertur. Cujus consectorium est, qvod fœminæ servos emere, *l. is quis suis. 4. §. 8. π. de manum. l. si mulier. 20. π. de donat. int. vir. & ux.* marito in dotem dare, *l. intestato. 3. §. 2. π. de suis & legit. hered.* *l. servum 21. π. de manum. l. licet. i. & l. fin. C. de serv. pign. dat. manum. l. & si. 3. C. de jur. dot. & manumittere queant. l. alumnos. 14. pr. §. 1. π. de manum. vind. l. si rogatus sit. 20. §. 3. π. eod.* Imò adeptâ etiam libertate expressis verbis, ne patronæ suæ obsequiis refragentur eos obstringit *l. neque patronæ. ult. C. de obseqv. patr. præst.*

VII.

Servorum autem appellatione non solum servos masculos, sed etiam fœminas,scilicet ancillas comprehendimus, *d. l. si dominus. 2. π. de his qui sui vel al. jur. l. dereftatio. 40. §. 1. l. inter suprum. 101. §. 3. π. de V. S.* & libertorum nomine & libertas venire volumus. *l. liberti.*

berti. 172. π. de V. S. Dignior enim sexus nominatur, sub quo & minus dignus habetur. ALBER. GENT. d.l. Et alias extat Regula juris: Pronunciatio sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum plerumque porrigitur. *l. pronunciatio 195. pr. π. de V. S. quæcum consentit. l. qui duos. 62. & l. servis. 81. π. de Leg. III.*

VIII.

Hodiè sublatâ potestate dominicâ, nondum tamen omnis uxoribus in personas familitiæ conditionis est denegata potestas. Licit enim patrifamilias omnis rei domesticæ cura sit imposita, uxorem tamen virtute indissolubilis vinculi matrimonialis, & propter divini humanique juris communicationem in partem curarum & sollicitudinis vocatam esse, cuius constat, cujus vigore una cum marito familiares disponit. *Syrac. 37. v. 26. & 27.* nec minus personis in ea contentis parendi necessitatem imponit. *vid. Anhalt. Policy und Landes-Ordnung. de Anno 1572. Tit. 33.* von Dienstboten und Gesinde. §. Wo das fleissig. verb. Das Gesinde gegen den Haushvater und Haushvittern. *Churfurstl. Sachsische Landes-Ordnung. de Anno 1550.* vom Gesinde und Muthwillen desselben/ibi: daß ihme sein Herr oder Frau ic. Tax-Ordnung Class. 8. ibi: nach Herren und Frauen. Ord. Polit. de Anno 1661. Tit. 23. c. 5. §. 3. in pr. ibi: allermassen auch denen Herren und Frauen freystehet ic. Imò sola ferè uxores potestatem famulas conducendi, conductasque iterum dimitendi nunc sibi vindicarunt.

IX.

Liberi verò matrem tevereri necesse habent tam de jure divino, *Exod. 20. v. 12. Syrac. 3. Ephes. 6. v. 1. 2. & 3. Prov. 1. v. 8.* quam civili, *l. congruentius. 4. l. filia. 5. C. de P.P. l. etiam. 1. §. 1. 2. l. nullum jus. 10. π. de Obseqv. parent. & patr. præst. l. furiose. 4. π. de Curat. furios.* Nam hactenus dominium eidem adscribimus, quia ultraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur. §. 5. *J. de exhered. lib.* sive quia utriqve originariè simul jus qvaritur. *Dn. PUFENDORF. de Jur. nat. & gent. lib. 6. cap. 1. §. 1.* Parentem tamen atqve eandem cum patre potestatem habere nequit, idque non solum ob sexus imbecillitatem, sed & quia ipsa marito suo est subiecta. *Genes. 3. v. 16. & passim.* Verum jus maternum non in solâ subsistit reverentiâ, pietate & veneratione, sed præterea ad jus castigandi

gandi se extendit : Qvod si enim propinquus jus illud non est dene-
gatum, l. unic. C. de emendat. propinquu. multo minus matribus dene-
gari poterit, cum haud dubie propinquorum, imò parentum, (qvibus
maximè hoc jus competit, l. aut facta, 16. §. 2. π. de pān.) appellatio-
ne contineantur. l. quicque 4. §. 2. 3. π. de ius voc. l. parentes 23. π.
de his qui not. inf.

X.

Sed num in maritum uxor habeat dominium, non incommo-
dè qvaritur ? Hic autem non statim ad experientiam convolare li-
cet, ne inversam fortè familiæ naturam, & abjectissimi ingenii virum,
qvi huic jugo submissus viri nomine indignum se reddit, reperiamus :
sed negativam potius amplectemur, qvam maximè svadet, qvod ma-
ritus sit caput uxoris. PAUL. ad Ephes. 5. v. 23. 1. Cor. 11. v. 3. ipsa-
que marito subjecta. Genes. 3. v. 16. 1. Cor. 7. v. 3. Colos. 3. v. 18. 1.
Cor. 14. v. 34. 1. Petr. 3. v. 1. Syrac. c. 9. v. 2. & c. 33. v. 20. Jam ve-
rò fieri nequit, ut unum idemque sit & subjectum dominans & ser-
iens. Unde hac de re non ineleganter Owen. Lib. 1. Epigr. 149.

Contra naturam, & mores, legesque loquendi :
Grammatici fugite hinc : hac vir & hic mulier.

Qvo etiam faciunt, qva notavit Arnold Mengering. in Scrut. conf. cap. 10. qv. 62. & 67. ibi : Ein solcher Frauen-Richt / Weibers Mammie und D. Siemann ist mit Verlassung und Übergabe seines von Gott verliehenen Mann-und Hauf-Rechts in seinem Gewissen vor Gott straffbar und keineswegs zu entschuldigen. vid. Dn. D. STRYK. de Alapa cap. II. n. 21. Ut igitur caput influit in cætera membra ; ita etiam oportet à marito tanqvā capite in sua membra derivari qua-
litates illas honorificas vel viles, ut alias membra capitū suo conveniant , qvandoqvidem contrarium ejus esset absurdum. FRANC. de AMAYA ad l. fin. C. de Incol. Lib. 12. n. 5. Hinc mariti conditionem & dignitatem seqvitur uxor l. feminæ. 8. π. de Senator. l. mulieres. 13. C. de Dignit. l. cum te. 10. C. de nupt. ANT. FAB. in Cod. Lib. 9. Tit. 29. def. 16. qvin domicilium & forum mariti sortitur. l. imperatores. 38. §. 3. π. ad municip. l. exigere. 65. π. de jud.

XI.

Idem sentiendum est, si maritus uxorem duxerit nobilem. Nihi-
B lomi-

dominus enim in potestate mariti illa transit, eoqve non aliter, ac
ignobilibus progenita parentibus subjacet: nam ubi eadem militat
ratio, ibi idem statui oportet jus. arg. l. illud quæstrum. 32. π. ad. L.
Aqvil. Sicqve nobilitas uxoris obumbratur ducento plebejum, cum
neutriqam maritus uxoris, uxor verò utique mariti conditionem &
dignitatem sequatur, l. fæmina. 8. π. de Senat. dum scilicet familiam
suam nubendo egreditur. l. pronunciatio. 195. §. 5. π. de V.S. TIRAQV.
de nobil. cap. 18. num. 16. absurdum quoqve foret, majorem esse di-
gnitatem uxor, quam mariti. ANT. FAB. ad d. l. 8. π. de Senat.
NOLDEN. de nobilit. cap. 22. num. 162. & seqq. Illustres autem fœmi-
næ inferioris conditionis maritis nubentes potestati qvidem mari-
tali subjiciuntur, nec dominium aliquod in maritum sibi vindicare
debent, attamen propriam familiam non penitus amittere, & ideo
titulum illustrissima dignitatis merito retinere, & usus & æxqitas
svadent, maximè quoq; favores & commoda, modo propterea non
distrahatur à viri familiâ. BALD. in l. cum quædam vers. & faciunt. π.
ad SCi. Syllan. BARTOL. in l. fin. §. itidem responderunt. π. ad municip.
qvos citat GOEDD. ad l. 195. §. fin. in fin. π. de V.S.

XII.

Imò nec pactum valet, quo maritus uxorius suæ dominio
spontè se subjicit; Pacta qvippe contra juris regulas conventa, qvæ-
que bonis moribus contrariantur, Prætor non tuetur. l. juris. 7. §. 7.
l. contra. 28. pr. π. de Paet. l. Filius. 15. π. de Cond. Instit. jam verò
conventionem illam, qva maritus uxorius in se potestatem concedit,
bonis moribus refragari nemo, prout opinor, negabit, nisi magis
muliebri qvam virili mente indutum esse se existimari malit. Ne-
que etiam dvitiae uxoribus dominium conferunt vel efficiunt, ut
propterea cornua sibi sumere, viroqve pauperiori, (secundum Pe-
trarcham) impunè inequitare liceat, licet ob facultates, qvas possi-
dent, cupidine regnandi incendantur. SYRAC. c. 25. vers. 30. SENEC.
lib. 2. de Clement. c. 5. qvia hic casus à regulâ propositâ non reperi-
tur exceptus, E. eidem inhærendum, donec contrarium fuerit pro-
batum. l. ab è parte. 5. π. de probat. l. cum in libris. 14. C. de hered.
Instit. COVAR. var. Lib. 2. c. 12. n. 4. TAB. in axiom, locupl. BARBOS.
lib. 16. cap. 22. apb. 7.

XIII. Ast

XIII.

Ast urgeant fortè mulieres, earumve affeclæ viros qvosdam uxores suas dominas appellasse, ut patet ex *l. uxorem. 41. pr. π. de Legat. III. l. Tertia. 19. §. qui Marco. π. de ann. leg. l. medico. 40. §. 1. π. de aur. arg. leg. Nov. 74. c. 4. pr.* hæ responsionis loco habeant: mulieres blandius saltim eo nomine appellari: aliud qvippe est esse, aliud dici; græcis etenim atqve latinis in more erat uxores suas dominas vocare, ut varia refert exempla *TIRAQVELL. ad Leg. connubial. part. 5. num. 11.* Neqve praesidium qvarendum in *l. Lutius Titius. 14. pr. π. de fideicom. libert.* nam responsio ex verbis finalibus ejusdem legis: Sæja dissensum nullius esse momenti facilè colligitur. Parum qvoqve facit, qvod Maria Scotarum Regina, teste Dn. D. BECMAN. *Medit. polit. cap. 6. §. 3.* Henrico Stuarto marito suo in publicis negotiis non nisi ministri loco usa, eumqve non Regem, sed Reginæ maritum appellari passa fuerit. Verum extra ordinem hoc, in foemini solum, ad quas summa imperia devolvuntur, fieri demonstrat Dn. PUFEND. in *Elem. Jurisprud. Univers. Lib. 2. obs. 5. §. 9.* ideoqve in argumentum trahi non debet. *l. quæ propter. 162. π. de R. J. sicut & id,* qvod contra rationem juris introductum & receptum est, non est producendum ad consequentias. *l. qvod verò. 14. π. de LL. l. quod contra. 141. π. de R. J.* Imò non exemplis, sed legibus judicandum esse inquit Imperator in *l. nemo judex. 13. C. de Sent. & introd.* Inde fatemur eqvidem factum, sed num jure factum disceptatur, qvin negatur.

CAP. III.

DE MULIERE DOMINA RATIONE RERUM.

I.

Premissa mulieris in personas potestate, ad dominium in res per-
gimus; Res autem, qvarum intuitu mulier dici potest domina,
vel feudales, vel allodiales sunt. Primum de rebus agamus feudali-
bus, in quibus tum de dominio qvaritur directo, tum de utili.

B 2

II. Do-

II.

Dominum directum fœminam habere posse, resque suas in feudum dare statim ex limine quasi Juris feudalis constat, *vid. 1. F. i. pr.* ubi Abbatissa fit mentio, itemque ex 2. *F. 3. §. 1. vers. fœminam. 2. F. 91.* Nam & res suas administrare, *§. 14. Inst. de R. D.* & beneficia in alios conferre potest. *l. donationes. 31. §. 1. π. de donat.* si modo in foro Sax. adhibeat curatorem, *Conf. 15. part. 1. SCHULTZ. Syn. feud. cap. 4.* *n. 25.* nisi illustris sit persona, *HERING. de fidej. cap. 7. n. 517.* Nec in contrarium facit, quod fœminæ jurisdictionis non sint capaces. *l. fœmina 2. π. de R. f.* quæ tamen ex feudi datione acquiritur, quandoquidē jurisdictione à sola lege civili ipsis denegatur, quæ contrario jure tolli potest. *Dn. STRYK. in Exam. f. F. cap. 5. qu. 23.* Et possunt etiam fœminæ per alios eam exercere. *Dn. STRUV. S. J. F. cap. 5. apb. 3.* jam verò id, quod quis per alium facit, dum ei mandat, ut faciat, ipse facere videtur. *l. ita autem 5. §. 3. π. de adm. tut.* Et licet dissentientes fortè urgeant: non possit fœmina feuda accipere, *E. nec dare.* Nam à diversis argumentationem ductam esse solidè monstravit FINCKELTH. *diss. feud. 5. Contr. 14.*

III.

Idem de dominio utili est asserendum; *c. sequitur. §. filia. 2. de success. feudi. 1. F. 8. c. si fœmina. de feud. fœm. 2. F. 30.* Inepta quidem sunt fœminæ ad militiam, adeoque servitia militaria, quæ regulariter quidem ab ipso Vasallo requiruntur, ob sexus imbecillitatem, *l. & primo. 2. §. 2. π. ad SCt. Vellej. l. imperialis. 23. pr. C. de nupt. & infirmitatem l. regula 9. pr. π. de jur. & fact. ign. l. cuius 9. §. multoque magis. π. de Curat. furios. l. deferrere 18. pr. π. de jur. fisc. l. accusatorum 1. §. 10. π. ad SCt. Turpill. ipsæ præstare non valent.* Verum quid obstat, quo minus servitia hæc, consentiente domino directo, à masculo quodam nomine mulieris præstari queant? Dominus enim tales investiens personam, juri suo renunciasse, & ut fœmina per substitutum servire possit, permisisse intelligitur. *KOHL. de servit. feud. p. 11. n. III.* Imputet *E.* sibi dominus, quod sciens ei feudum concederit. *arg. l. cum mandatu. 23. π. de minor.* Et licet contra communem feudi naturam id fiat, *VULT. lib. 1. c. 8. n. 38. & 43.* quoniam tamen mutatio hæc solum quoad naturalia, non quoad substantialia contingit,

tingit, dominusque feudi directus juri pro se introducto pro lubitu renunciare valet, *l. seqvis 29. C. de paet. Nov. 136. c. 1.* utique igitur feudum manet, qvamvis non proprium, impro prium tamen seu fœminum, in quo etiam fœmina successionem habet. STRUV. *c. 4. tb. 17. Dn. D. STRYK, Exam. f. F. c. 15. qu. 5.*

IV.

Absolutis igitur iis, qvæ hic de feudalibus dicenda erant, res aggre diemur allodiales, qvæ mulieris sunt vel ratione dominii, vel ratione alterius cuiusdam in re juris. Dominium habet mulier in rebus undecunqve legitimè acquisitis. Nam in modis acquirendi nulla inter masculos & fœminas datur differentia; Ex quo etiam sequitur, qvod liberam de rebus suis habeant disponendi potestatem, *l. in re. 21. C. mandat.* Hinc eas quo velint modo, v. g. titulo venditionis, *l. mulier 8. π. de L. commiss.* vel simili in alium transferre, nec non oppignorare, *l. redemptores. 39. §. 1. π. de R. V.* & à qvovis possessore vindicare *l. d. 39. π. de R. V.* aliosque dominii effectus exercere possunt. Et jure eqvidem Sax. & civili, si mulieres sunt virgines vel vi duæ, extrajudicialia negotia tractant sine Curatore: Jure autem Sax. Ele&t. Curator est adhibendus, *Conf. 15. p. 2.* qvo tamen mercatrices & pecuniam mutuo sumentes non indigent, sed creditoribus bona sua obligare valent; qvod & ad cambia & omnia, qvæ vir in commerciis præstare potest extenditur.

V.

Retinet etiam dominium mulier, etiam si res suas marito dede rit in dotem, licet stante matrimonio illud cesset & quiescat. Quare non obstant pr. *Inst. qvib. alien. lic. l. dotale. 15. §. 2. π. defund. dot. l. dotis. 7. §. 3. π. de jur. dot. l. si prædium. 23. C. cod.* in quibus marito rerum dotalium assignatur dominium; jam verò fieri nequit, ut duo ejusdem rei domini in solitum habeantur, *l. si ut certo 5. §. fin. π. com-mod.* Distingv. enim inter rem absolutè & relativè consideratam: priori sensu dominium habet mulier, qvomodo res naturaliter ad eam pertinere dicuntur; *l. in rebus. 3. G. de jur. dot.* posteriori ad maritum spectat. In dominio enim mulieres sub hac formali ratione, qvad eos, non magis res in dotem data esse, quam res hæreditariae

apud testatorem hæreditas dici potest. Non est ergo inconveniens
dari duos unius rei dominos, diverso tamen considerandi modo, ut
unus dominium actu & exercitio, alter quiete & cessatione, quod
quibusdam dominium dormiens dicitur, habeat. LUDWELL. ad pr. f.
per quas perf. cuique adquir. n. i.

VI.

Quædam adhuc, quæ præter dōrem mulier habet bona, sub ge-
nerali paraphernorum appellatione veniunt, eorumque alia para-
phernalia in specie audiunt, in quibus de jure civili nihil planè juris
habet maritus. *I. hac lege 8. C. de paſt. conv.* nisi quod concedente
uxore bona hæc, si penes tertium quendam sint, vindicare, & vindicata
asserare debeat, *I. si mulier n. C. eod.* à quorum rationis reddi-
tione non planè est immunis. *arg. I. maritus 95. pr. n. ad L. Falc.* usu-
ras vero corum cum uxore habet communes. *d. l. n. C. de paſt. conv.*
jus autem Sax. non solum administrationem, sed & totum marito ad-
signat usumfructum, dum scilicet præcipit, ut is uxoris suæ bonis, seu
dotalia seu paraphernalia ea sint, ad dies vita suæ utatur. *¶ N. lib. 1.*
art. 31. § 45. sicque ususfructus quidem, neutrignam tamen dominium
ad maritum spectat, sed hoc penes mulierem permanet.

VII.

Alia paraphernorum species sunt Receptitia, *vulgo Spielgelder*/
quorum dominium & possessionem sibi cum libera administrandi fa-
cultate recipit mulier, in quibus maritus nullum, ne quidem admini-
strationis jus habet. *W ESENBECK. n. dejur. dot. n. fin.* Sola igitur uxoris
voluntate constituantur, non etiam mariti. Quod hodie interdum
aliter se habet, quando nimis pactis dotalibus administrationi &
usufructui de jure sibi competenti & debito expresse, pro parte eā,
quam excipit mulier, renuntiat, aut sciens exigere isthac negligendo
tacitè uxori relinquit, *vid. Excell. Dn. D. CARP. Disq. de bonis*
uxorum receptitiis Lipf. anno 1678. habita.

VIII.

Nec denique dominium Geradæ, quæ juri Sax. natales debet,
vid. Thes. s. Differt. de Geradâ Lipsia sub præsid. Magnif. Dn. D. BORN.
habita.

habita. mulieri denegandum est; hujus etenim administrationem, oppignorationem & tam pervenditionem, qvam permutationem licitam ei esse alienationem, latissime probat Dn. D. CARPZ. *Dissert. de donat. bon. utens. Thes. 5. n. 27. seqq.* Et regulariter solae in his bonis dominium & successionem habent mulieres. §. N. Lib. 1. art. 27. nisi paucis qvibusdam casibus exceptis. CARPZ. P. 2. *Conf. 14. def. 60.* RICHTER. *Tr. de success. ab intest. Sect. 1. m. 1. n. 60.*

IX.

Porrò jus in re, prater dominium mulieri competens, vel usus fructus est, vel jus hypothecæ. De reliquis speciebus nihil hic dicamus, qvandoqvidem vix ac ne vix quidem, qvod specialem annotationem mereatur, occurrit.

X.

Usumfructum ex bonis liberorum defuncto patre ad matrem pertinere, si præprimis liberorum gerat tutelam. Dd. Jur. Sax. communiter statuunt. *vid. SCHULT. qv. 46. n. 21. BERLICH. p. 2. Concl. 12. n. 14.* qvibus contradicit Dn. CARPZ. *p. 2. Conf. 10. def. 13.* sufficiat verò nobis controversiam illam per *Decis. Elef. noviss. 62.* decisam esse. *vid. Dn. PHILIPP.* ibi: Ordnen und seken der wegen hiermit daß die Mutter und Grossmutter den usumfr. in ihrer Kinder Vermögen/ wenn sie gleich die Vormundschafft verwalten / auch die Kinder mit nothdürftigen Unterhalt bis zu ihrer Mündigkeit zu verschen / erbötig/ zu fordern / oder desselben sich anzumassen nicht befugt seyn sollen. Ex hoc infertur, matrem bona mariti administrantem vel inventarium, vel juratam edere specificationem. *Decis. Elef. 21.*

XI.

Jus hypothecæ & tacite quidem uxori in bonis mariti acquiritur vel cum vel sine prælationis privilegio. Cum privilegio prælationis id contingit in dote, cuius ratione jure civili omnibus creditoribus antiquiore etiam hypothecam habentibus præfertur. *S. fuerat. 29. J. de aet. l. assiduit. 12. C. qui pot. in pign. ubi elegans ratio in verbis: quis enim non misereatur earum, propter obscuria que maritis praestant, propter partus periculum & ipsam liberorum procreationem, pro qvibus multa nobis legibus inventa sunt privilegia.* Neque inter tacitam

vix

tacitam & expressam hypothecam distingvimus, qvia textus allegati sunt generales, igitur distingvere non debemus. arg. l. de pretio 8. π. de publ. in rem act. GIPHAN. BORCHOLT. ad §. 29. f. de act. Aliud in jure Sax. ubi mulieres creditoribus expressas hypothecas anteriores habentibus postponuntur. Ord. Proc. in pr. verb. vor allen andern Gleubigern / so nicht ältere ausdrückliche hypotheken haben / ne scilicet hypothecaris jus hypothecæ propriâ conventione quæstum sine ipsorum facto auferatur. CARPZ. p. 1. Conf. 23. def. 64. Habet autem uxor dictam hypothecam statim à die contracti matrimonii. l. qui dote m. i. π. qui pot. in pign. GAIL. 2. obs. 86. n. 3. & hodiè benedictio nis sacerdotalis. BERLICH. p. 2. Concl. 30. n. 7. & 10. CARPZ. p. 2. Conf. 24. def. 1. sive ante matrimonium, sive postmodum fuerit illata. Id. d. l. n. 8. Obtinet verò prælatio saltem respectu creditorum ejusdem mariti, non verò & antecessoris, quando scilicet maritus in hujus bona succedit, & separatio legitimè impetrata fuerit. RAUCHB. p. 1. qu. 38. n. 47. MEV. p. 4. dec. 178.

XII.

Idem de Augmento dotis asserendum, qvia accessio est, & pars dotis, & ideo ejusdem cum dote juris. cap. accessoriū. 42. de R. f. in 6. l. quæ de rotz. 76. π. de R. V. JOH. CAMPES. tr. de dot. p. 1. qu. 77. n. 1. modo de dote constitutā constet. ANT. FAB. in Cod. Lib. 5. Tit. 1. def. 5. MEV. p. 5. Dec. 62.

XIII.

Sed dicta hypotheca privilegiata non solum ipsis uxoribus, sed & liberis earum competit. l. assiduū. 12. §. exceptis. C. qui pot. in pign. non tamen jure hereditario, sed ex ipsa lege, qva eos simul comprehendit. MEV. adjus LAB. p. 3. Tit. 1. art. 9. n. 7. Extraneis vero denegatur, cum sit beneficium personalissimum, qvod personam non egreditur. l. in omnibus. 68. l. privilegia. 196. π. de R. f. CARPZ. p. 1. Conf. 28. def. 95. singularia enim jura ad consequentias trahi non debent. l. quod vero. 14. π. de LL. l. quod contra. 141. l. quæ propter. 162. π. de R. f.

XIV.

XIV.

Est tamen maximè necessarium, ut tam Constitutio, quam illatio dotis probetur. In illâ conjectura animum constituendæ dotis declarantes sufficiunt. THOMING. dec. 30. n. 35. HARTMAN. PIST. obser. 46. n. 11. CARPZ. p. 2. C. 16. def. 11. n. 9. Haec verò plene probari debet. Ord. Proc. Tit. 43. pr. vers. so viel sie dessen erweisen können. Sed non est plena probatio, quæ fit mariti confessione, si contra creditores. Est enim suspectissima. ANT. FAB. in C. l. 5. tit. 10. def. 1. n. 1. RAUCHBAR. p. 2. qv. ult. n. 6. licet jurata, vel uxoris juramento suppletorio confirmata fuerit. CARPZ. p. 1. C. 28. d. 73. 75. altero enim casu præjudicium tertii versatur, altero juramentum suppletorium cessat, si semiplena probatio non præcesserit.

XV.

Qvæ de dote ejusque augmento allata sunt, etiam in dotalitio observantur, quia dotis loco est surrogatum. vid. NEGUZANT. de pign. p. 2. memb. 4. n. 47. SPRENGER. de dotalit. tit. 3. n. 157. RAUCHBAR. p. 1. qv. 30. n. 17. MYLER. ab EHRENBACH. in Gamalog. cap. 10. §. 8. quam observantiam Potentiss. Elect. SAX. probavit in ord. Proc. d. tit. 43. §. so wollen wir ic. in fin. vers. also auch ic. modus legitimus modo fuerit observatus. CARPZ. lib. 4. Reßb. 26. Excessus enim feudi successoribus non nocet, neque illius ratione jus hypothecæ vel prælationis prætendi potest. HARTM. PIST. p. 1. qv. 4. n. 4. seqq. CARPZ. d. 1. def. 93. n. 11. Et licet in donatione propter nuptias aliud observari, à Dd. passim reperiatur notatum, attamen diversam ejus à dotalitio esse rationem exinde constat, quod in illa dos salva maneat, hoc autem absorbeatur & feudo incorporetur. Unde quia hic de damno vitando agit mulier, magis eidem ut succurratur, æqvitas svadet.

XVI.

Sine privilegio prælationis hypothecam acqvirit mulier ratione morgengabæ, paraphernalium, alimentorum, & sponsalitiae largitatis.

C

XVII. Ra-

XVII.

Ratione Morgengabæ petendæ uxori in bonis mariti tacita tribuitur hypotheca, ad dotis exemplum, cuius est appendix, ut ea propter ejus induat naturam. CHARONDAS. lib. 7. R. 71. sed negat privilegium prælationis. BERLICH. p. i. concl. 55. n. 88.

XVIII.

In paraphernalibus idem procedere ex l. si mulier. ii. C. de part. conv. l. ult. C. de jur. dot. colligere licet. MYNSING. Cent. 5. obs. 4. n. 2. GAIL. 2. Obs. 92. n. 40. in quibus verò hypotheca tacita non à die nuptiarum; sed à tempore illationis incipit. CARPZ. p. i. C. 28. d. 87. seqq. & p. 2. Conf. 74. def. 3.


XIX.

Sed nec alimenta præterire possumus, quippe quæ uxori ex bonis mariti debentur, donec de dote eidem satisfiat. l. ubi adhuc. 29. v. si fructibus. C. de jur. dot. l. assiduis. 12. pr. C. qui pot. in pign. Unde tacitam eam habere hypothecam penes D. nullum subesse dubium videtur, aliter ac in sponsalitâ largitate, ibi enim istam hypothecam locum habere nullibi prædictum reperitur.

XX.

De donatione propter nuptias queritur, an per eam dominium, an hypotheca in uxorem transferatur. Nos, licet pro priori sententia pugnet plurimi, uti SCHNEID. ad §. 3. f. de donat. n. 5. WESENB. ad π. de jur. dot. n. ii. ibique HANN. verb. & donatio propter nuptias tantum juris fictione, à posteriori tamen recendum non esse arbitramur, quia maritus non habet animum transferendi dominium, sed solum ut securitatem concedat uxori. Actris verò agentium ultra eorum intentionem nihil operantur. l. in omnibus 55. π. de O & A. l. non omnis. 19. π. de R. C. Deinde quia nemo in re suâ pignus habere potest. l. neque. 45. π. de R. f. & denique quia maritus res mobiles propter nuptias donatas alienare potest, Nov. 61. cap. 1. §. 1. quod arguit

guit satis dominium penes maritum mansisse. BACHOV. ad Treutl.
vol. 2. dispt. 19. tb. 8. lit. b. verb. nuptiarum causa. SCIPIO. GENT. tr. de
don. int. vir. & ux. lib. 4. cap. 14. C. 7. A. de jur. dot. tb. 39. Et habet
haec hypotheca interdum coniunctum privilegium prælationis, velu-
ti si donatio ista petatur in compensationem dotis à marito consum-
tæ. GRATIAN. cap. 53. discept. forens. n. 15. MANTIC. de tac. & amb. conv.
lib. 20. tit. 3. n. 7. In Electoratu Sax: mulieri non aliter in hoc casu hy-
potheca competit, qvam si de ea sit prospectum expreßè, aliàs enim
inter nudos Chirographarios collocatur, ne lucrum qvarentes de
damno vitando certantibus præferantur. Ord. Proc. Tit. 43. §.
so wollen wir. verb. die sonst keine Verständigung haben. CARPZ.
lib. 4. R. 26. n. 11. & in Jurispr. for. p. 1. C. 28.
def. 91.



Item he wundet. Wenn er nicht war, so wundet sich Wm
durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele
wundet sich durch die Freude der Seele und der Freude der Seele


ULB Halle
003 004 007

3



56:

VDM:



B.I.G.

Black

Farbkarte #13

Yellow

White

3/Color

Red

Magenta

Centimeters

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

4501.

834

1687, 15^o

17

Q.D.O.M.B.V!
DISSERTATIO JURIDICA
DE
MULIERE DOMINA,

Qvam
volente favente DEO

&
Magnifici Nobilissimiqve JCtorum
Ordinis permisso

PRÆSIDE

DN. ANDREA MYLIO, J.U.D.ac P.P.

Dn. Patrono, Promotore & Fautore suo nullo
non honoris cultu ætatem devener-
rando

publicè disqvirendam produceat

AUTOR RESPONDENS

Gottlieb Benjamin HOMILIUS

In JCtorum Auditorio

die 12. Maii Anno M DC LXXXVII.

Hor. confv.

LIPSIAE,
Typis Christiani Banckmanni,

